



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quomodò fides vera solùm attendit & ponderat promissiones & illis assentit in re iustificationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ne per fidem, eodem momento eadē fides accipit Spiritum Sanctum, qui statim accendit & operatur suos fructus.

CAPVT VIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo fides vera solum attendit & ponderat promissiones, & illis assentit in re iustificationis:*
2. *Quomodo leges, opera, caremonia ac ritus extra estimationem iustificationis seruati, non nocent, nec derogant fidei.*
3. *Quid sit excidere à Christo & fide.*

Fides est aliud nihil, nisi assentiri promissionibus Dei, & contentari illis, non aliud medium querens iustitiæ & salutis quam quod Deus proposuit & obtulit, id est, Christum, propter quem vult nobis misereri gratis, Roman. 3. Hoc sic statuit & promisit quare per nullam aliam rem aut medium acceptari potest iustitia & salus, nisi illo quod Deus statuit & proposuit. Sic dedit vnigenitum suum, vt omnis qui in illum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nostra ergo opera non sunt media, per quæ Deus promiserit se nobis misereri: sed bonitas illius & Christus, propter quem promissa est gratia. Hoc fides certò tenet & credit, attendit & ponderat. Magna ergo res est, credere diuinę promissioni, ac illi tribuere vim effectiuam iustificationis.

Insuper Christianum facit hæc Fides, quòd credimus diuinę promissioni, scilicet quòd propter Christum acquirimus per fidem iustificationem & vitam æternam. Hoc etiam vbique docet scriptura nos propter Christum exaudiri, esse gratos Deo Patri, esse filios Dei, & hæredes regni Dei, Ioann. 16. & Ioann. 1. Rom. 8.

Rom. 8.

Rom. 8. Non ergo facit Christianum traditio, leges, ceremoniæ, neq; cibus vel potus aut vestitus, neque masculus, neq; fœmina, Galat. 3. Sed fides illa in Christum, credere diuinæ promissioni & verbo Dei, facit Christianum: opera pia & obedientia præceptorum, declarant & testantur bene Christianum: sed illa fides in promissionem Dei, facit Christianos.

2. Quia fides nos facit filios Dei, & quatenus placeamus Deo, eaq; in Christo viuimus, & in spiritu ambulamus coram Deo, credentes quoniam propter Christum ex misericordia & gratia saluamur, in illum solum totum negotium salutis nostræ transferentes: hoc dum spiritu & corde agimus in fide, nihil nocent leges, ceremoniæ, varij ritus, fidei in Christum, quia illis non tribuimus salutem. Ideò Euangelium dum hic in corpore viuimus, sinit nos vti moribus & legibus ac ceremonijs omnium Gentium, sicut Cibus, Potu, Aëre, Sale, Pluuia, & cæteris vitæ necessarijs ad vitam corporalem. Sic Abraham, Dauid, Iob & similes placebant Deo fide in futurum Messiam: etiam erant Deo grati, & fide coram eo ambulabant, habebant & Spiritum sanctum. Sic Loth habitabat cum Sodomitis, Genes 19. Cum illis utebatur cibo & potu ac ritibus & legibus terræ, attamen spiritu & fide vivebat Deo. Sic hodiè Christianus qui fide placeat Deo, & habet Spiritum sanctum, interim dum viuit in hoc corpore, moribus & legibus præsentibus, quibus cum viuit, vti potest sine periculo conscientiæ. Sic Paulus 1. Corint. 9. inquit: Omnibus omnia factus sum, omnium me seruum feci, vt lucrifacerem omnes: cum Iudæis utebar Iudaicis ritibus & legibus, cum gentibus ritibus eorum, cum infirmis erā infirmus. &c. hoc nihil nocuit fidei suæ qua Deo vivebat. Christianus enim duplicem vitam habet: primò spirituales, qua in fide Iesu Christi consistit, qua credimus nos saluari ex misericordia Dei propter Christum